



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni  
Bredenbachij S. Th. D.||**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae Agrippinae, 1592**

**VD16 B 7378**

12. Quomodo lignea crucis Christi imago sagitta sauciata sanguinem  
emisit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

348 COLATION. SACRAR.  
sinu permanere. At medio noctis tempore,  
cùm euigilaret, sensit nescio quid frigidi suo  
lateri adiacere. Admotaque manu requiren-  
do quid esset, ita sanum brachium manumq[ue]  
reperit, ac si nihil vnquam tanti languoris ha-  
buisset.

*Fulgos. lib. 1. cap. 6. Comad. Lycosthen. lib. 12. The-  
tri. lignea crucis Christi imago sagitta sauciata, san-  
guinem emisit. Sagittarius penitentiā ductus, con-  
tra Christi hostes bellare cepit.*

CAP. XII.

**I**mperantibus Ottone & Philippo, in eo bel-  
lo, quod pro Germanico imperio inter se  
gesserunt, cum permulti se cum rebus suis in  
sanum sancti Gouari, haud lōgè à Treuiris re-  
cepissent, quia & natura & arte satis munitus  
videbatur is locus, eoque oppugnaturus tem-  
plum Vernherus Bolanus venisset: qui intus  
obsidebantur, cùm suspectam haberent fene-  
stram, ne ea hostes aditum sibi in templum fa-  
cerent, posita in eo loco crucifixi Christi ima-  
gine, quæ lignea erat, satis cauisse rebantur, ne  
inde hostes veniret. Sed cum avaritia pro Deo  
aurum colat, Sagittarius quidam populario-  
nis spe sagittam in eum ipsum locum direxit,  
vbi in Christi imagine confixa fuit, & mox  
tanquam ex viuente corpore à lignea Christi  
effigie sanguis manauit. Ea re territus Vernhe-  
rus, cruce sumpta, mare ad bellum cōtra Chri-  
sti hostes gerendum traiecit: imago autem sa-  
gitta

gittaque sanguine conperfæ, in hunc vsque diem asseruantur.

*Comadus Lycosthenes lib. 14. Theatritans M. Fritsibium in Meteoris. Aleator quidam pecunijs amissis desperabundus imaginem crucis saxo ferit, quæ sanguinem emisit. Aleator ipse diuina uisione horrendè puniuit.*

## CAPVT XIII.

**B**Vdx, Pannoniæ vrbe, duo aleatores ita conuenerant, vt alter in DEI nomine, alter in nomine diaboli luderet. Qui DEVM nequitia fauorem faciebat, pecunias omnes, ipsas quoque vestes amisit: intempesta nocte desperabundus domum rediens, per cœmiterium iter facit. Ibi Saluatoris crucifixi imaginem conspicatus, ira & furore plenus, saxum arreptum violenter fronti illisit. Miraculosè igitur saxum in vulnere hæsit, & copiosus sanguis profluxit. Cœmiterio vicinus habitabat lanus senex podagricus, is per quietem vocem incertam audit: surgeret, & cultro proximum quemuis sibi obuiam factum confoderet. Quam vocem cum tertio iteratam, multis cum minis instantem audiisset, parere decreuit. Itaque cum prius ne mouere quidem sese lecto posset, impigrè surgens, lanario cultro arrepto, in cœmiterium descendens, aleatorem infelicem furibundum sibi obuiam factum cultro confixit. Hoc patrato facinore, iudicis ædes accedens, aditum & colloquium